
A. Nigri

Libellus de
Erroribus etc
1590.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 41 [10,-31 8°]



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 41 [10,-31 8°]

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 41 [10,-31 8°]



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 41 [10,-31 8°]



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 41 [10,-31 8°]



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 41 [10,-31 8°]

1/10,-31. DA Box
(LN bis 41)

BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 41 [10,-31 8°]

LIBELLVS.

D. Antonij Nigri.

DE DECEM PRAECIPVIS ERRORIBVS, ET ABVSI-

bus, propter quos apud nonnullas gẽtes præclara Medicinæ ars, Mulierculis, Iudæis ac impoſtoribus, veluti prædæ relicta, miſeréq; infamata, conſtupratáq; jaceat.

RANZOVIANIS impenſis in lucem revocatus & ab interitu vindicatus.

HAMBVRGI

Excudebat Jacobus Wolfius.

Anno M. D. XC.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 41 [10,-31 8°]

LAVRENTIVS MOL-LERVS CANDIDO Lectori.

QVi cupis ingenuè varias cognoſcere cauſſas
Cur medica ars paſsim turpe relicta jacet.
Et quibus eveniat cauſſis, relevetur vt eger,
Hec lege judicio dogmata culta pio,
Quod referunt etenim ſpatioſa volumina multis
Hoc breviter mira dexteritate monent.

BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 41 [10,-31 8°]

AD CANDIDVM LECTOREM ANTONIUS Niger Medicus, Phyſicus Brunſuicenſium.

ADmonitum te eſſe volo initio, candide Lector, me ad libelli hujus editionē nulla maledicendi libidine, nullaq́ grasſandi in famam alicujus gentis cupiditate, ſed ſolo veritatis indicandæ ſtudio eſſe impulſum. Scio enim quamvis nationem virtutes ſuas habere, ac ſua laude dignam eſſe, in nulloq́ orbis terrarum populo non

reperiri viros cordatos, ſed quoniam in confeſſo eſt, nonnullos eſſe homines, qui ut aliis in rebus omnibus & ſapiant & rectè judicent, ita in medicamentis non æquè judicio valeant, magiſq; abuſu quàm uſu delectati libenter ſe decipi patiantur, puto neminem futurum nobis tam iniquum, qui noſtram hanc in manifeſtandis abuſibus exhibitam operam, non in beneficii potius quàm injuriæ partem ſit accepturus. Quanquam verò me non lateat, majorē eſſe errorum ac temeritatis molem, quàm ut ullo conatu amoveri, altioreſq; radices actas, quàm ut calamo meo vel labefactari, nedum extirpari poßint, viſum eſt tamen faciundū,

ut vel

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 41 [10,-31 8°]

ut vel paucißimos, quibus non omninò frigidus craſſuſq; circum præcordia eſt ſanguis, ab errore vindicemus. Multitudini hæc non ſcribim⁹, quam, quò magis ratione poſtules manſuefacere, eò vehementius videaris ἐκβαρβαρῶσαι. Libuit autem ex immenſo penè abuſuũ acervo præcipuos aliquot ſigillatim promere, ac ſeparatim ante oculos conſtituere, in quibus detegendis ſi quid liberius in impoſtores, qui ſe pro medicis venditant, dixero, benedictum id veriùs quàm male dictum æquus rerum æſtimator judicaverit.

PRIMUM IGItur ex abuſibus medicam artem infamantibus locum obtinet, ea quæ ex inſpecto lotio abſente ægroto fit divinatio Hanc ſordidi lucelli aviditas invenit, adfert enim, ſi non amplum, certè quotidianum vectigal, cujus dulcedine ineſcati agyrtæ, recutiti, & aniculæ nihil non comminiſcuntur, quo ſtolidis imponant ac fucum faciant, ibi tum ampliſsimus mendaciis patet campus, in quo ingenia eorum excurrant atq; exerceantur,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 41 [10,-31 8°]

ibi nova & inaudita morborum genera urinà inſpectâ ſe deprehendiſſe dicunt, eáq; impudenter, quæ nec in rebus extant, quæq́; ἀδύνατα ſunt, aſſerere audent. Et ut compendio dicam, mera ſomnia ac anilia deliramenta mirum quanto ſupercilio pro oraculis effundant, quantoq́; conatu maximas nugas agant. Quas ſi vir intelligens audiat, non injuria dubitet, utram harum majore dignam odio exiſtimet, improbitatémne τῶν φενακιζόντων, an ſtultitiam τῶν φενακιζομένων. Ac quod meritò maximè indigneris dum iſti tanquam ex tripode neſcio quæ portenta va-

ticinantur, rem eò levitatis addu-
xerunt, ut præclara medicinæ ars
μαντικῇ perſimilis eſſe videatur,
ipſiq́; pro hariolis magis, quàm
pro medicis cognoſci poſsint,
Qui plerumq; quidem falſa pro
veris reſponſa reddunt, mireq;
frigent augurando, interdum ta-
men vel mali dæmonis inſtin-
ctu, vel fortuitò, vel arrepta con
jectura aliqua ex urinam appor-
tantis verbis, ſymptoma aliquod
morbi afferentes rem acu tetigiſ-
ſe imperitis videntur. Quemad-
modũ enim, qui totum diem ia-
culantur aliquando ſcopum at-
tingunt, & ſæpè iactãtes aliquan
do Venerem jaciunt, ita & iſti u-

rinæ

rinæ contemplatores certas non nunquam coniecturas aliunde ducentes veri nonnihil adipiſcuntur, idq; omne ex urina ſe perſpexiſſe ſimulant. Quod longè ſecus eſt, Nam ſi totum etjam diem in lotio oculorum aciem defixam intentámq; defatigaveris, morbi genus ac cauſas ex eo perraò, idq; obſcurè, deprehendes plerunq; nihil cogōſces prorſus. Alia longè alia ſunt, unde callidi ſycophantæ coniecturas capiunt, quibus nonnunquam rectè divinare videntur, ea ſi hic proferrem, nemo non liquidò cerneret, nihil eſſe facilius, quam hominibus decipi gaudentibus

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 41 [10,-31 8°]

os ſublinere. Sed quia & leviſſima ſunt, & oratonem nimis prolixam requirunt; conſulto prætermittam, & ad verum inſpiciendæ urinæ uſum quam breviſsime declarandum me conſeram. Hujus itaq; inſpectio quæ ſit præſente ægroto non inutilis eſt ad affectus, qui hepar, venas, renes ac veſicam infeſtant, cognoſcendos. Eſt n: urina nihil aliud quam ſanguinis ſerum, quod in hepate gignitur, diſcernitur in renibus, & per meatus, qui ὀυρητῆρεσ dicuntur, in veſicam derivatur, excerniturq; tandem inde per ejus collum. Quod ſi verum eſt, ut nemo ſanæ mentis

tis

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 41 [10,-31 8°]

tis eſſe negarerit, relinquitur certe urinam non omnium morborum, ut vulgo mentiuntur, eſſe ſignum, ſed eorum tantum affectuum haberi notam, qui in his partibus, quibus gignitur, & per quas tranſit conſiſtunt. Itaq; in febribus quidem lotium utile inſpectu eſt, concoctionem aut cruditatem morbi ſignificans, in aliis verò morborum quam plurimis obſcurum, incertum, mireq; fallax indicium affert. Nam & in Peſtilenti epidemia quæ anno poſt natum Servatorem noſtrum 1530. Brunſuigæ graſſata eſt, plurimas vidi urinas ſanorum lotio ſimillimas, quæ

adeo

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 41 [10,-31 8°]

adeo non fuerunt certum ſanitatis futuræ ſignum, ut partim eorum, qui eas minxerint, eodem die, partim poſtridie ſint elati. Sed quid verbis opus eſt? ſi ex matula morbi omnes cognoſcendi eſſent, Fruſtra Galenus nobiles illos περὶ πεπονθότων τόπων ſex libros, morborum ſigna complectentes, conſcripſiſſet.

SECVNDVS.

FOedum vero arti medicæ dedecus imprimit, & illa circumforaneorum anicularumq; impudentia, quæ purgandorum corporum rationem ſibi temerè arrogat, plæclaréq; tum purgata

eſſe

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 41 [10,-31 8°]

eſſe corpora arbitratur, quum multas ac egregias cacationes, inſignemq; ventris proluviem commoverit, ignorans inter purgationem, et ventris ſolutionem differentiam permagnam eſſe, quam Hippocrates aphoriſmo ſecundo, ac vigeſimo tertio libri primi oſtendit, inquiens. Si talia purgentur qualia purgari oportet, confert, & leviter ferunt, ſin minus, contra. Dejectiones non multitudine ſunt æſtimandæ, ſed ſi talia dejiciantur, qualia dejici oportet. Quibus verbis apertè docetur, purgationem noxiorum tantum, & morbum facientiũ humorũ expulſionem

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 41 [10,-31 8°]

nem eſſe, aliorum non item Siquidem igitur purgare non eſt idem quod temerè ventrem ſolvere, ſednoxium tantum ſuccum expellere, qui poteſt dubitari? Quin ſumma arte, ſummaq; cura & induſtria opus ſit, ut primum is qui morbi materia eſt humor, cognoſcatur, deinde cognitus convenienti pharmaco, minimeq; alieno tempore, & modo expurgetur, quæ res profecto tanta eſt, ut doctiſsimo cuiq; & peritiſsimo medico negotium faceſſat, ignoranti contra facilis videatur. Nihil enim non eſt proclire audaci imperitiæ, qua fretæ aniculæ ſuam colocynthida, ſuumq; tithymalum,

quam

quam eſulam minorem, vulgo vocant, exhibentes, mirabiles ſæpe cacationes creant, qua eadem armati circumforanei, & Tonſores nonnulli lethalia ex argento viuo catapotia, aliaq; id genus δηλητήρια id eſt mortifera pharmaca hominibus obtrudunt, quaſiq; conjurati in ſalutem mortalium hoſtes una cum excrementis & animam exturbant. Violenta enim illa medicamenta, Galeno, libro ſecundo de elementis, teſte, propriam tandem ac nativam ſolidarum partium humiditatem exhauriunt ἀναστοιχειοῦντα καὶ φθείροντα τὸ ζῶον. Quare non rarò fit, ut

cra-

carnificina illa verius quam medicina debilitati, & infracti non nulli, etjam ſi mortis periculo perfuncti ſint, ac ſanitatem videantur adepti, optatam tamen vitæ periodum complere nequeant, aliquotq; annis ante diem decidere ſoleant. Hæc præmia ſæpenumero adfert, audax illa, quam dixi, imperitia, cujus mentionem facit & Thucydides inquiens ἡ ἀμαθία μὲν θρασεῖς, ὀκνηροὺς δὲ τὸ λελογισμένον ἀπεργάζεται.

TERTIUS.

FRaudi præterea Medicis eſſe ſolet ignorantia plurimorũ,

qui

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 41 [10,-31 8°]

qui neſciunt naturam morbo-
rum eſſe curatricem, Medicum
verò naturæ adeſſe miniſtrum,
id quod Hippoc: Libro ſexto
Epidemiorum his verbis teſta-
tur. Naturæ ſunt morborum
medici, Quodq; idem Galenus in
arte medica confirmat inquiens.
Natura horum omnium opifex
eſt, Medicus autem miniſter.
Natura enim ſeu virtus ægroti,
ea eſt, quæ morbi cauſſam ſeu
materiam concoquendo & ex-
pellendo vincit interdum ſine
ullo medici auxilio. At verò
ſi morbi ſive cauſſam, ſive mate-
riam concoquere, & expellere
non poſsit, medicus laboranti
naturæ ſubveniens in conco-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 41 [10,-31 8°]

quendo, et expellendo fert auxilium, quo adiuta illa morbi victrix evadit. Sin autem proſtrata jam penitus natura ſeu virtus fuerit ægroti, ut cum morbo prælium inire nequeat, fruſtra Medicus præſidia affert, fruſtra ſubſidio venit. Hæc ſi multis cognita & perſpecta eſſent, minus profectò iniqui in medicos eſſent judices, minuſq; calumniarentur artem, ubi deſperata ſalute mors hominem occupaverit. Intelligerent enim in natûra ægri ſalutem, & mortem, immò verò in Deo Opt. Max. poſitam eſſe, medici tamen non contemnendum miniſterium, nec vulgare videri debere officium, ut

qui

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 41 [10,-31 8°]

qui naturam cum morbo depugnantem ſtrennuè juvet, proinde in morborum curatione hunc ordinem obſervâri operæ precium eſt, ut in ea aliquid ſit primum, aliquid ſecundum, aliquid item tertium, primas enim DEO naturæ parenti meritò tribuimus, ſecundas naturæ, medico pulcrum eſt in tertijs conſiſtere. At verò homines quidam obeſi animo & ſtupidi, horum nihil intelligentes, à medico plus quàm ab homine reqûiri debet, exigunt, nec ſatis habent ſi is operam fidemq; præſtiterit, quin etjam eventum morbi, & periculum

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 41 [10,-31 8°]

præſtari ab eodem volunt, craſſá quadam, ne dicam, impia, DEI, & naturæ, oblivione capti.

QVARTUS.

IAm verò nec illud ſilentio eſt prætereundum, quòd præclaram medicinæ artem, cuj perdiſcendæ ne totius quidem humanæ vitæ curriculum ſufficere poteſt, homines nonnulli eſſe artem non intelligant. Si enim artem eſſe crederent, minimè á mulierculis, Iudæis aut alijs indoctis impoſtoribus pharmaca peterent, quos conſtat in arte medica, neq; præceptores un-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 41 [10,-31 8°]

unquam habuiſſe, neq; præcepta ulla didiciſſe, neq; laborem, neq; ſumptum, neq; tempus impendiſſe. Nam cum nulla ars ſine interprete & doctore & ſine aliqua exercitatione percipi poſsit, medicinam autem profiteantur circumforanei, vagiq; nebulones, & aquarum, ut vulgò loquimur, diſtillatores, qui neq; prima ejus rudimenta calleant, neq; theoreſin ullam cognoverint, ſed qui eclegmata tantum, quæ vulgò electuaria dicuntur, pilulas, & ſyrupos aliàq; compoſita medicamenta in pharmacopolijs expoſita, nomina re, ex ijſq; receptulas, ut vo-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 41 [10,-31 8°]

cant, quaſdam fabricare noverint. Quis non videt eos medendi rationem artem non eſſe judicare? qui ejusmodi artifices & ferunt libenter, et pro medicis habent. Quæ enim uſitata ſunt in pharmacopolijs medicamenta, eorum nomenclatura ad faciendas receptas tribus menſibus facilimè ediſci poteſt, quam non nulli adſequti intra paucorum menſium ſpatium derepentè medici prodeunt, nimirum Theſſali illius, quem Galenus libro primo methodi, inſectatur, diſcipuli. Itaq; eò res adducta eſt, ut Theſſalijs impoſtoribus artem brevibus terminis circumſcribentibus

tibus

tibus, re autem vera miſeré infamantibus conſtuprantibuſq́;, omnia ſint referta, nequicquam Hippocrate vitam brevem, artem verò longam eſſe clamitante. Iſtorum inſcitiam non mediocriter etjam confirmarunt, qui practicas, ut vulgò vocant, latinas in Germanicam linguam converterunt. Pleriq; enim eas legentes remediis, quæ ſcripta invenerint, & credunt, & utuntur, rati ex ingenuis fontibus ſe bibere nativum liquorem, cum interim è limoſis rivulis impuriſsimiſq́; lacunis cœnum hauriant, erroriſq́; ac dementiæ compleantur. Verùm, eſto, (quod

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 41 [10,-31 8°]

tamen minimè concedi poteſt) falſi nihil contineant Germanici illi centones, facile tamen ex eis plus haurire mali quam fructus decerpere eſt, propterea quod Galeno libro primo & ſexto de compoſitione medicamentorum ſecundum loca, teſte, etjam optimorum pharmacorum citra methodum uſus nō ſolum non proſit, ſed frequenter etjam obſit, ſæpéq; non minoris periculi ſit, bona remedia indoctis tradere, quam inſano gladium.

QVINTVS.

Porro

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 41 [10,-31 8°]

POrro ſero vocari ad ægrotos medicum ex eorum quoq; numero eſt, quæ arti ignominiæ notam inurunt. Eſt enim quibuſdã in more poſitum, non antea vocare medicum, niſi æger animam agere incipiat, ipſeq; morbus ad ſtatum perveniat, in quo tandem accitus medicus ea auxilia quæ in principio, & augmento morbi afferri debebant, non poteſt adjungere, ægroto jam debiliore facto, quam ut majora remedia tolerare poſsit, tum præterea Hippocrate medicorum principe, in ipſo morbi vigore quietem præcipiente. Quo fit, ut medicus fruſtra tum advocatus

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 41 [10,-31 8°]

videatur, ut qui & ipſe ægroto, dum in ſtatu eſt morbus, nullo neq; præſidio neq; vſui eſſe poteſt, adſtans ſpectator potius, & commiſerator periculi quam ſublevator. Vbi igitur viderint ægroti amici medicũ ad conſilij inopiam redactum, induſtriamq; ei omnem ac facultatem conglaciaſſe, in quo uno arcem ſpei collocaverant quemq; miraculum aliquod ſubito editurum eſſe exiſtimaverant, de univerſa arte malè ſentire, ac medicum ipſum contemnere et contumelijs lacerare incipiunt, Qui ſuam ipſorum juſtius damnarent ſocordiam, accerſentes me-

dicum

dicum ubi jam extrema inten-
tatur peſtis, atq; adeo tum,
quum moriendi non medican-
di tempus inſtat. Non. n. intel-
ligunt quanti referat principijs
obſtitiſſe, ac venienti occurriſſe
morbo.

SEXTVS.

QVinetiam omnia rectè ac
ordine agenti Medico ægroti
quidam minimè parent, pro-
priaq; conſilia ſequuntur, quod
pernicioſiſsimũ eſſe, Hippocra-
tes primo ſane aphoriſmo libri
primi teſtificatur inquiens. Nec
ſolum ſeipſum præſtare oportet

opor-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 41 [10,-31 8°]

oportuna facientem, ſed & ægrum, & adſidentes, & exteriora: Quum enim in tribus tota ars conſiſtat, ut & Hippo. libro primo epidemiorum docet, in morbo, ægroto, & medico, adverſari morbo ægrotum una cum medico oportet. Si enim æger à morbo ſtans, medico adverſetur, actum eſt, vincitur medicus, duorum impetu hoſtium oppreſſus. At ſi morbo relicto ægrotus medico συμμαχὸν ſe conjunxerit, victoria triumphus ac ſalus expectantur. Verum ut ab ægrotorum delictis ad aſtantiũ φιλοπραγμοσύνην veniamus, tantum abeſt ut æ-

gro-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 41 [10,-31 8°]

grotorum quorundam amici, cognati, cognatæve, medici conſiliis ſtare ſoleant, ut ijs etjam omnino poſthabitis rejectiſq; ſuas certatim nugas, ſuaq; tantum experimenta ægroto obtrudant, medicorum non ſolum ineptæ ſimiæ; ſed etjam ejus quæ ex recuperata ſalute accedit gloriæ æmuli, quam et plerumq; in ſe tranſmovent atq; præripiunt. Si enim æger revaluerit, medici operam verbis extenuantes aut callidè diſsimulantes ſuæ induſtriæ, ſuiſq; remediis id adſcribunt. Sin autem mortem ille cum vita commutaverit, id medico acceptum

refe-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 41 [10,-31 8°]

referunt. Ita fit, ut neq; autoritatem ſibi, neq; fidem, neq; rem, neq; gloriam, medici facere poſſint. Quæ etjam cauſſa eſt cur apud ejusmodi homines doctorum ac peritorum medicorum, aut nulli prorſus, aut paucißimi reperiantur.

SEPTIMVS.

CAEterum quid de promittendi levitate dicam? quæ ad extremam impietatem quam proxime accedit. Promitti enim quidam ægroti ſibi ſalutem volunt, ac certum contra precium paciſcuntur. Quibus non de-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 41 [10,-31 8°]

deſunt, qui de ſanitate prolixé promittere audeant, modo pacta pecunia numeretur. Neutri iſtorum naturam veram eſſe morborum medicatricem, de qua in tertio abuſuum ordine diximus, intelligunt. Naturam autem? immo ne DEVM quidem Optimum Maximum principem medicum eſſe credunt, qui ab homuncione miſero certam ſalutem certa pacta mercede redimunt, non impij modo, ſed etjam plane cœci brutiq; homines qui neq; humanæ naturæ imbecillitatem vident,

vident, neq; majorem quam equus aut mulus cognitionem Dei habent, cujus quum in rebus cunctis omnipotentia ac miſericordia longe major eſt, quam ut humanæ mentis captu comprehendi, humanæq; vocis præconio ebuccinari poſſit, tum verò in ægrorum angoribus, & morbis depellendis, ita illuſtris, itáq; manifeſta eſt, ut modo non oculis ac manibus teneri poſſe videatur. Et tamen non contenti ſunt quidam ſi prudens medicus operam ac fidem ſuam pollicitus ſit, aut auxilio Dei ſe curaturum promiſerit exigunt certam ſa-

lutis

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 41 [10,-31 8°]

lutis promiſsionem, Dei mentione ſuppreſſa: Quod ſi ſupremum, qui in cœlis eſt, medicum reveritus, ſub hac conditione promittas, ἐὰν θεὸς ἐθέλῃ, obſcurum tibi vultum oſtendit æger, eaq; voce abſterritus alium quærit medicum. Neq; tum illico non adeſt promiſſor ille, ac depeculator gloriæ DEI, qui recipiat ſeſe omnes, ſine exceptione, morbos percuraturum, atq; adeo etjam incurabiles, quos in Euangelicis libris ab uno Chriſto ſervatore noſtro divina virtute curatos fuiſſe legimus. Quare Chriſtianorum quidam cum gentibus conferri non meren-

tur, quibus, ut Plato in Alcibiade præcipit, diſciplinæ erat, omnibus rebus agendis, το ἐὰν θεὸς ἐθέλῃ, præfari.

OCTAVUS.

ACCedit eodem impietatis, incantamentorum perſuaſio, quoties ſiquidem difficilior cognitu, et curatu rariorve morbus inciderit, confeſtim clamitant ſe non morbo, ſed incantamentis vexari, idcircoq; libenter incantatorem aliquem accerſunt, qui tanquam clavo clavum trudens, artem repellat arte. Hoc impio errore nullus eſt alius uſitatior, magisve quotidianus.

NO-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 41 [10,-31 8°]

SVpereſt ἀψικορία, peculiare nonnullis hominibus vitium, apud quos cumprimum novitatis gratiam exueris, nulla eruditione, nulla fide, nullaq; artis peritia, te ita commendabilem reddes, quin novos identidem medicos, quantumvis rudes, & indoctos quærant, eoſq; præcipue admirentur qui quam maxime ignoti ſint ac peregrini, quiq; ob aliqua flagitia capitalia profugerint, aut æris alieni cauſa ſolum verterint, nihil artis habentes, præter paucula experimenta, quibus dum penit⁹ confi-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 41 [10,-31 8°]

dunt, multas ſæpe fortes animas orco demittunt: Experimentum enim, & periculoſum, & fallax eſt, ut Hippocrates primo aphoriſmo libri primi præmonuit: periculoſum quidem, propter materiæ præſtantiam, Neq; enim ſicut artium mechanicarū, ita & medicinæ materia ſunt, lateres, lutum, rudera, ligna, lapides, tegulæ & coria, quæ ſi experiundo etjam plane confregeris ad nihilumq; redegeris, error minimè gravis cenſetur, quū in corpore humano periculum non fiat ſine periculo, malaq; experientia totius animalis interitu luenda ſit: Fallax vero eſt, quum

pro-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 41 [10,-31 8°]

propter alia, tum maxime propter ἰδιοσυγκρασίαν Hippocrati & Galeno, proprietatem individualem recentioribus medicis appellatam. Quum enim duo homines non reperiantur, qui ejuſdem per omnia ſint temperamenti, qui fieri poteſt ut eadem omnibus victus ratio conveniat? idemq; experimentum omnes juvet? Hinc profecto & tritum illud imperitorum lemma, quam ſtultum ac falſum ſit, apparet, qui dictitant profuiſſe experimentum Petro, profuturum igitur eſſe & Paulo, non intelligentes variari remedia oportere, non ſolum pro

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 41 [10,-31 8°]

novem temperamentorum diverſitate, proq; ætatis, ſexus, regionis, conſuetudinis, temporis, & aëris ratione, Sed etjam pro eo, quod cuiq; mortalium proprium ineſt, temperamento, quod ἰδιοσυγκρασίαν appellari Græcis diximus.

DECIMVS.

AD extremum, nec canonica medicandi ratio obſervari poteſt, apud nonnullos, qui quum purgari poſtulant, ſyruporum, ut vocamus, aut aliorum ejus modi pharmacorum, quæ humores extenuant & incidunt, atq; ad expulſionem præparant,

viaſ-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 41 [10,-31 8°]

viaſq; aperiunt, uſum plane ab-
horrent, unicoq; hauſtu defun-
gi volunt, quaſi vero univerſa
morbi materia, quæ interdum,
& multa eſt, & longo tempore
contracta, unica potione, ſubito
ac violenter expelli debeat. Ita
fit: ut plerumq; materias crudas
expurgare cogamur, eaq; non
raro incommoda ſequantur quæ
crudorum humorum commo-
tionem comitari ſolent, præce-
ptaq; Hippocratis negligantur,
qui in vigeſimo ſecundo apho-
riſmo libri primi, concocta tan-
tum purganda, cruda vero mi-
nime eſſe movenda, Et apho-
riſmo nono libri ſecundi, Cor-
pora

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 41 [10,-31 8°]

pora cum quiſpiam purgare voluerit fluida prius eſſe facienda, ſapienter docuit. Horum præceptorum cum nulla ratio habeatur, eo res rediit, ut ſyrupi vel pauci parentur, vel parati in pharmacopoliis corrumpantur, in quibus et ipſis, ἄτακτα, ἀόριστα, ἀδιόρθωτα ἅπαντα. Quam rem quum mecum in animo cogito, nequeo ſatis demirari tam miſerabilem humani judicii cæcitatem, adeoq; craſſa obductas caligine hominum mentes eſſe poſſe, Vt quum fortunæ bona, divitias et facultates, ſumma ope ac ſtudio quærere, & conſervare vigilent, peneq; finem bono-

rum

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 41 [10,-31 8°]

rum ſtatuant, de corporis bonis adeo nihil laborent, nihilq; ſollicitudinis habeant, ut in Pharmacopoliis inſtruendis, ubi jam non aguntur pecuniæ aut fortunæ, Sed ubi corporis ſalus, vitaq; ipſa agitur, plane dormitare, nullamq; ſeriam videantur operam collocare. Quaſi morte obita opes ſecum in Charontis cymbam deportaturi, eiſq; Cerberum ſint placaturi. Sed hic eſt ſatius receptui canere quã huic ulceri unguem admovere, juſtus enim dolor fortaſſe me tranſverſum raperet, neq; diutius pateretur, intra modeſtiæ limites teneri orationem.

τέλος.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 41 [10,-31 8°]

TYPOGRAPHVS lectori, S.

Quum alioqui vacaturæ eſſent aliquot paginæ, judicavi me bonis rem gratam facturum, ſi hujus authoris Epigrammata nonnulla hactenus vel non edita, vel ævo pene perdita adjungerem: tu illis amice lector fruere brevi ejuſdem exhortationem ad liberalium artium ſtudia Deo benè juvante viſurus & vale.

IN ORGANA TEMpli Brunſuicenſis ad S. Magnum.

Accen-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 41 [10,-31 8°]

ACcenſus nablii chordis Heliſæe volebas
Fatidicum Domini munus obire tui.
Et Saulo regi Cacodæmona ſæpe fugavit,
Flexanimæ David plectra movens citharæ.
Ergo vel ſanctis quondam dilectæ prophetis
Muſica, ſit templis non aliena ſacris.

ALIVD.

IN CVSTODIAM Brunſuicenſem quæ a Leonib: nomen habet.

Quæ

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 41 [10,-31 8°]

Quæ truculentorum cuſtodia clauſa leonum
Turris eram, carcer ſum modo facta reis.
Quos non lex hominum cohibet, ſed ſæva ferarum
Vis effrenatos in ſcelus omne rapit.

ALIVD.

IN EDVARDVM Leum proſcindentem Eraſmū Roterodamum quod pene puer luſit Erphordiæ ſub Eobano Heſſo præceptore Anno 1520.

Qua-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 41 [10,-31 8°]

Qualicunq; Leus nomen ratione paretur,
Non referre putat, nomen habere cupit.
Nunc id habet, ſed quod mihi non, vel Heroſtratus, optem,
Nec, tibi qui Macedon fata Philippe tulit.

Antonius Niger Vratiſlavienſis.

E R-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 41 [10,-31 8°]

Errata typographica ſic corrigenda ſunt.

A. 2. facie b. linea 5. lege medicamentis ſumendis.

A. 3. lin: 4. Vindicemus, atq; ad verum medicinæ uſum traducamus.

a. 4. b. lin: 13 efferentes.

a. 5. lin: 14. quibus adjuti.

Ibidem b. lin: 2. orationem.

ibidem lin: 8. quæ fit.

a. 6. lin: 1. negavetit.

a. 7. b. lin: 17. proclive.

a. 8. b. decidere.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 41 [10,-31 8°]

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 41 [10,-31 8°]

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 41 [10,-31 8°]

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 41 [10,-31 8°]